



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXII. Consputatio Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

est: quod etsi dolorem gravem non inferat, quia nullum vulnerat, neque occidit; est tamen ignominiosissimum. Qui enim id facit, indicat se hominem vilem, impudentem, crudum, & sine judicio esse, barbaris brutisque pejorem. Innuit pariter ingens odium, & contemptum ejus, quem conspuat: neque id loci aliquid esse dignius & aptius recipiendo sputo, quam personam & faciem ejus. Quia inurbanum putamus spueri coram alio, cum quo loquimur; ideoque avertimus faciem, & sputum pede conterimus: & sunt barbari, qui cum faciant alia multa indecorè, tamen habent pro magna injuria, si quis exspuat in eorum conclavi, Atqui Pharisei, Sacerdotes, ac principes populi tantum abest, ut hoc honoris habuerint divinæ personæ Domini, ut etiam indicarent, se faciem ejus judicare dignissimam sputis suis foetidis & abominabilibus. Atque adeo non contenti alapis, ad exsatiandum odium suum infernale, etiam sputa conjecerunt in eum; utique non abstinentes verbis contumeliosissimis, maledictum, impostorem, blasphemum, pestem populi, ebriosum, inimicum legis divinæ, hypocritam, magum, Samaritanum, dæmoniacum, socium Beelzebub, & aliis nominibus appellando, quibus ostenderent, esse dignissimum, qui sic exciperetur.

Conspuitur

Non defatigatur patiēdo.

II. Bonam partem noctis insumperunt in his contumeliis; donec fatigati abierunt, manè redituri ad prosequendum impium suum propositum. Sed innocens Agnus, decus cæli, & gloria paradisi, non fatigatus est patiēdo; nec restitit eis, quidquid facere vellent. Nam ut non recessit ab ejus oculis necessitas illorum, qui se quærunt, nec est unquam invenire, qui suam divinam majestatem difficilem experiarur in ullâ suâ necessitate; sic ab his injuriis non avertit, nec abscondit suum sacratissimum vultum, neque recusavit pati, quidquid vellent ejus inimici: atque hoc tantâ mansuetudine, gravitate, modestiâ, ac demonstratione patientiæ, ac si tunc reciperet peccatores pœnitentes, quo ipsi nihil poterat evenire gratius & jucundius: nam licet hos non habuerit præsentem, nihilominus tamen magno amore satisfaciebat pro illis.

III. Et mirum est, inter tot alia, quæ in vita & passione sua pertulit, noluisse Dominum sibi deesse hoc genus indignissimæ

simæ injuriæ. Neque enim patiebatur solùm ideò, quòd illa infererebantur nisi per malitiam & odium inimicorum, sed etiam ideò, quòd sic esset ab æterno constitutum: non quòd illi consilio divino moverentur ad hæc inferenda: cùm DEUS auctor peccati non sit; sed quòd res ita dispositæ fuerint, ut veniret in manus ejusmodi hominum, qui talia suâ perversâ voluntate ultrò ipsi erant irrogaturi; sic ut sua majestas divina uteretur propriâ illorum malitiâ ad ea consequenda, quæ desiderabat pati pro peccatoribus. Hujus autem consilii divini rationes multæ & gravissimæ fuerunt. Prima, sicuti DEUS est perfectissimus in sua natura divina, ita voluit etiam esse in his, quæ exercuit in humanâ, tam in operibus potentiæ, quàm humilitatis ac patientiæ, ut non tantùm nullus ea posset æquare, sed neque cogitare, quid addi deberet: nec enim minoris excessûs fuerunt opera humilitatis, quàm majestatis. Etenim per hæc erigebat nostram fidem, spem & charitatem; per illa docebat & illuminabat nostram cæcitatem & errores. Ideo vocavit ad se omnes laborantes & oneratos, ut eos reficeret, aperiendo fontem omnis boni: & nominatim est adhortatus ad imitationem sui in humilitate & mansuetudine; quòd in his lateant summæ divitiæ. Et ne se excusaret ullus ab hac imitatione, cum multiplici excessu mansuetudinis & humilitatis, ipse prævit. Sic enim loquitur apud Prophetam: *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Opprobrium, cujus meritò pudeat; abjectio, quem omnes meritò condemnant, abjiciant, ac pedibus conculcent, sicut rem abominabilem, & quam horreant aspicere. Demisit ergo se ad statum abjectissimum, volens non tantùm subijci pedibus mancipiorum diaboli, tanquam vilis terræ vermiculus; sed etiam velatis oculis conspui, velut res horrida & indigna visu.

Statutum
erat ab
æterno, cum
pati pro pec-
catoribus.

Psal. 22,
v. 7.

Doces pec-
catorem, se
coram Deo
humiliare,

IV. Altera causa, cur Christus voluerit pati tam indigna, est, quòd non tantùm voluerit satisfacere Patri æterno pro nobis; sed etiam docere, quomodo nos humilitare debeamus coram DEO, ut ipsi placeamus. Quamvis enim non haberet in se causam tantæ submissionis, voluit tamen ostendere quomodo se

se

se deberet humiliare, si esset peccator, ut nos sumus, culpabiles filii Evæ. Nec dubium est, quin, si Christus verè fuisset reus eorum, de quibus accusabatur, quæque in se luenda susceperat, dignissimus fuisset omni illo despectu, quem pertulit, veluti pestis & ruina totius mundi. Atqui cum esset expers omnium peccatorum, eorum in se pœnas recepit, velut ipse promeritus foret: inde vincula, verbera, mortem est passus. Sed ut quilibet peccator sciat, quo loco sua peccata sint apud DEUM, & quid ipsum de illis sentire oporteat, voluit conspui; ut quisque intelligat, quamdiu sua ipse peccata non horret, neque coram Deo pudet eorum, tam diu dignum esse, quem avertentur omnes creaturæ, quòd inter se habeant rem tam foedam ac detestabilem; ac merito Deum execrari sua peccata, quæ homo neque satis agnoscit, neque detestatur, neque, ut par esset, propter illa se humiliat.

*fœditatem
peccati
ascendens.*

*Ob quam
Sancti se
despexerunt.*

V. Ex hoc intelligitur, quo spiritu acti sint multi Sancti, cum in mundo quærent & excogitarent varios modos, ut haberentur pro stultis, & omnibus essent contemptui, cum voluptate talia preferentes. Nec desuerunt, qui nec mortis pericula, injustè sibi intentatæ refugerent: quia scilicet à Deo illustrati perfectè nôrant se ipsos, & quid debeat naturæ tam inclinatæ ad malum; ideòque se offerebant ad omnia, per quæ possent humiliari, indignum reputantes, quòd sustinerentur à cælo & à terra: & quando videbant propter sua peccata vexatum & inhonoratum fuisse Christum, omnis humiliatio ipsorum iudicio nimis erat exigua. Hoc fecerunt Sancti, pleni Spiritu Christi Domini nostri, & virtutibus ejus, cum longè minora peccata, quàm alii plerique committant. Quid ergo sentire debent illi, qui in peccatis delectationem quarunt, appetitui suo litantes per omnia? Id unum eos monuero, Dominum, qui tanta fecit tulitque pro animabus eorum, & se ad tam stupendos excessus demisit amore illarum, easdem olim contemptas abjecturum à se, & in æternum condemnaturum, quas dilexit tantopere. Ex quo clarum est, quantum detestetur peccata, quibus nos delectamur, ut neglecta omni jacturâ, quæ per illa fit, obliviscatur animarum, quas tam efflicim

efficitim amaverat, neque misericordiam eis exhibeat; sed tanquam cum ingratis, nec detestantibus propria mala, rigidâ utatur justitiâ.

VI. Omittendo alias rationes, cur Dominus noster hæc ^{Passio Christi} pati voluerit, unam præterire non possum, propter consolationem ^{si piorum} piorum; qui, ut amant humiliari ac vilipendi, sic mundus, cum ^{est consolatio} habeat eos pro adversariis, erga eos exercet strenuè suum officium, despiciendo ac deprimendo eos, quantum potest. His tanquam meliore apud se calculo notatis, & æstimatis à DEO, voluit Dominus parare apud se meliorem locum, in quo se tueantur, quando vident se quasi vermiculos conteri pedibus mundi, qui semper prævalet ipsis in omnibus. Voluit enim à mundo è divino & sanctissimo vultu suo fieri locum, in quem putida sua sputa conjicerent, ut ad eum se conferant, qui ejus amore tractantur ut vermes; quemadmodum David prædixit fore: *Abscondes eos in abscondito* ^{Psal. 30. 27} *faciei tue à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Cum non sit aliquid occultius vultu Domini sputis contexto, voluit hoc secretum esse & absconditum, in quod sui se reciperent. Nam quid magis occultum, quam pulchritudo divinæ Majestatis, sub livore alaparum, & fœditate sputorum? Sic ostendit suis, quod nihili faciat mundum, & ejus ^{Quos per-} injurias: à quibus bene proteguntur, ut nihil eis possit nocere. ^{se: miones de} Quia Christus utcumque fœdatus foris, non potuit vel minimum ^{malis prote-} lædi in sua divinitate, quam absconditam habebat, & reservabat ^{gunt.} pro his, qui cum humilitate exosculantur hanc faciem ita tractatam. Per eam intrant sicut vermiculi in cavernam suam, & suaviter quiescunt, non curando, quid foris superbiat mundus, nec illum imitando.

VII. Inter hæc probra, ac deformationes faciei suæ, Dominus non ita voluit latere, & incognitus esse animabus; ut non ostenderet in medio illorum spiritus magnos, quos ex eo licet haurire, si aspiciamus eum cum fide & amore. Quod clarè ostendit in sancto Petro, qui, cum ex magna confidentia de seipso promississet, se prius moriturum, quàm abneget Christum; in domo Annæ, ubi Dominus accepit primam alapam, sub mediam no-

*Pœnitentia
santi
Petri
primus
fructus
est Passionis
dominice.*

stem interrogatus, an sit Christi discipulus, respondit, se illum haud nosse: & mox gallus cantavit primâ vice. Deinde in domo Caiphæ, ad focum de eodem interrogatus, bis iterum negavit cum execratione & imprecatione in caput suum, secundâ circiter horâ post mediam noctem, dum Christus sub alapis & sputis plûs laboraret de remedio peccatorum, quàm de suis injuriis ac doloribus. Cùm ergo nôset peccatum, quod Petrus inter servos Pontificis commiserat, in quo etiam usque ad mortem perseverâset, absque luce & gratiâ suâ; misertus illius convertit oculos interiùs ad animam ejus, ne in illa abnegatione obstinatus perseveret: Et simul, ac radio interno illum tetigit, gallus alterâ vice cantavit. Hic ille reputans animo, quid fecerit, metuque & horrore sui ipsius percussus, è mala societate, per quam in scelus inductus erat, se proripuit, magnâ cum humilitate & lacrimis petendo veniam; quam & obtinuit. Erat sanè conveniens; ut pœnitentiâ ejus, qui caput Ecclesiæ futurus erat, primus fructus esset ærumnarum, quas Redemptor patiebarur pro peccatoribus; ut omnes certi forent, quòd, qui oculos animæ suæ non œcludunt, luci profluenti ab oculis Domini malè tractati pro nobis, experimento proprio cognoscant, has contumelias ejus esse nostrum honorem; illius abjectione nos exaltari; & contemptum hominum esse remedium animæ nostræ. Cùm igitur ea, quæ isti nefarij designârunt in personam Christi, tantas opes contineant, ut inde fiamus meliores; nullus erit tam vecors, ut velit separari ab illa abundantia bonorum, quæ datur humilibus corde.

E X E R C I T I U M

Ad Christum consputum.

I.

O Sapientissime cognitor malorum meorum, JESU bone, & unice mediator eorum! ago tibi gratias infinitas, quòd sic applices eis remedium, sicut ea novisti, & sentis. Et ego, quia illa non satis intelligo, peccata mea pro levibus habeo: nec ea sentio, ut oporteret; quia non capio malum, quod inferunt, neque modum sanandi. Tu, sapientia æterna, qui scis, quantum adhæreant illa meæ naturæ, tanquam sordes longo tempore inolitæ, diu macerari

cerari solent in alia re vili, ut possint purgari; ita voluisti, ut medicina meorum peccatorum sint dolor & humiliatio cum contemptu mei ipsius, ad evellendum in veteratum amorem proprium, & estimationem rerum à te separantium: & quia mea peccata recepisti in te expianda, passus es, ut efficerent in te ipso, quæ debuerunt in me. Ego, ô vita animæ meæ, deformavi in me tuam ^{Peccator} imaginem: ego purgandus eram aliâ re viliore, quàm sint eæ, quas ^{deformat} contra legem tuam dilexi; sed tu, D E U S meus, qui es puritas in- ^{imaginem} finita, quid habes purgandum, cur te sic abjicias? & cum nullum ^{DEL.} genus majoris abjectionis inveniatur in mundo; quare vis hanc sacratissimam faciem ac personam tuam conspui cum tanta contumelia, ac si nihil vilius esset in mundo? & tanquam blasphemus, impostor, veneficus & corruptela populi conspurcari, contemni? ô meum unicum bonum, mea beatitudo æterna!

II. Quid invenitur in te, quod reprobandum sit? quid in tua conversatione, quod creare possit fastidium? an fortassis horrent bona, ut te sic conspuant? ô DEUS meus! ego sum talis, non tu. Non possunt inferre contumeliam, quam non meruerim, qui relinquo tuas delicias præ sordibus, quas amo; relinquo conversationem tuam præ miseris, quas quæro: amicitiam tuam, & suaves amplexus, bona, quæ mihi das & promittis, præ vilibus rebus, quas præ illis amo & æstimo. Ego, Domine, sum ille, quem meritò conspuant omnes creaturæ, tanquam abominabilem & miserabilem peccatorem, indignum aspectu. Et tu, Domine infinitæ misericordiæ, ut me defendas ac protegas ab istis despectibus, offers divinam faciem tuam, & abjicis majestatem tuæ personæ ad has injurias tam indignas. O Domine animæ meæ! veniant super me isti contemptus: vel saltem, quia accipis eos in te, da mihi gratiam, ut faciam interiùs, quod video facere divinum hunc vultum. Doce hanc animam cæcam nauseare sordes corporeas, ut horreat & conspuat ea, per quæ separatur à te. Doce me odisse rem tam vilem, qualis ego sum; quia pro rebus abjectis derelinquo te, superna mea felicitas, ac thesaurus infinitus!

III. Hoc autem ideo facio, Domine, quia natura mea vilis ac terrena, vilior etiam à peccatis, nescit amare, nisi mihi

similia. Sed tu, δ Domine ac Deus animæ meæ! quia creâsti me propter alia bona, crea in me de novo fructum tuorum sputorum & contemptuum. Tu, Deus, humiliâsti te, ut exaltos me, ac doceas, quàm parvi pendere meipsum debeam, & omnia, quæ à te separant. Voluisti sic despici, ut in faciem tuam ac personam conjiciant abominabilissima, & putidissima terræ. O durum cor meum! qui hoc video & credo: & tamen non eo per plateas, ut omnes me videant & agnoscant pro eo, qui sum, & me excipiant, sicut tu, JESU & Salvator meus! es exceptus pro me: sed ego facio omnia contraria his, quæ me doces; quia etiamnum æstimo meipsum, nec audeo me aspicere, qualem te video. O vilitatem insidentem visceribus huius animæ! quando me, Domine, eripies ex hoc luto? quando exhibo à me ipso, ut me aspiciam & abhorream! Mitte mihi, Domine, lucem tuam, & veritatem tuam, ut me illuminet, & educat extra meipsum, & introducat in cognitionem tuam; quia solùm stando juxta te, incipiam nauseare & horrere meipsum. Tu, Domine, qui nôsti me, quid amplius facere potes, quàm ut in divina facie & persona tua ostendas mihi, qualis ego sim intra me, & quomodo debeam tractare meipsum? ah me miserum! qui me nec audio, nec possum liberare à meipso! Miserere, Domine, miserere, mi bone JESU!

*Renuit videri, quâ
luc est,*

*Debitas sibi
pœnas in
Christo videt,*

Psal 21. 7.

Illo nil vilius,

IV. Quàm verè dixisti, Domine, per Davidem? *Ego sum vermis, & non homo*: quia non tantùm te fecisti vermem, qui proteritur ab omnibus, & nihili fit à summis & infimis, à bonis & malis, etiam à bestiis, subjectus pedibus omnium creaturarum, sicut video tractari ab istis hominibus te Regem gloriæ, ac Dominum meum; quin sacratissimam faciem tuam, ac personam facere voluisti locum sordium, ac putidorum sputorum? O thesaure cæli, Fili patris æterni, reperistine aliquid vilius, cui te comparares? Ego sum certè, quo, si ibi fuisset, nihil vilius invenisses. Tu semper es idem, Deus meus, ex quo natus es, usque ad mortem: & ego, quando me considero, sum verè sterquilinum quoddam iatus & foris, & æstimandus pro tali. Tu verò, Deus meus, suprema & infinita majestas, qui non debes æstimari minoris, quàm es, mutâsti æstimationem in rem, & vilissimis rebus te submisisti.

V. Quid

V. Quid tibi dabo, Domine, pro his, quæ propter me fecisti? scio bene, Deus animæ meæ, quòd non habeam quæ dem: scio tamen etiam, quid à me petas. Ego sum, Deus meus, id quod petis. Cur itaque, Deus cordis mei, non accipis possessionem hujus animæ? nōne sum tuus? an fortè omittis me possidere, quia sum liber, & mihi vim inferre non vis? ô malè impensa libertas! quia mihi non prodest, & ego utor illâ in meam perniciem. Quoniam igitur expectas, donec tibi me tradam, ecce me hîc, amor animæ meæ! ecce me, Vita mea! ecce me, bone JESU immitte mihi has contumelias: tracta me, pro voluntate tua, ad gloriam tuam; quoniam meâ semper utor in ignominiam tuam. Ex hac hora me offero toto corde, & quantum possum, & pono me in manus tuas, & in providentiam tuam configno: fac me, quidquid vis: seca, castiga, afflige, humilia, exalta, sicut gratum tibi erit. Ego tibi meam libertatem resigno, id unum petendo, ne unquam permittas me excidere de manibus tuis. O mi bone JESU, ac Domine animæ meæ! tuere per misericordiam tuam, & confirma me in hac voluntate: perfice me in illa, ut abhinc semper confidam in te, quòd quidquid evenerit, ordinetur à te, quia sic tibi placet, & expedit mihi; ut nihil aliud velim, nec à te me separem.

Tamen Deus cordis est.

VI. Dignare, Domine, me illuminare ac docere rem unam, quam ex te scire desidero: quandoquidem voluisti esse meus magister, nec vis ut audiam alium, erudi, Domine, ruditatem meam. Cùm vermes è luto nascantur, & sustententur, ac tu sic te demiseris, ut faceres te mundi sterquilinum; fortasse voluisti docere me, Deus meus, ut, quoniam ego sum vermiculus, opus manuum tuarum, non me sustentem in aliâ re, quàm in te? fortassis ut natus es in præsepio inter duo animalia, ut homines, qui è caelestibus bruti facti fuerant in suis desideriis, de te pascerentur in præsepio: sic etiam voluisti, ut hæc anima mea assueta latamini & rebus vilibus, sustentaretur te solo, sic abjecto & humiliato? Intellego, bone JESU! te hoc velle. Quia ne magnitudo tua ter-
*Despectus
lesus vera
delectatio.*
 reret hanc vilitatem pauperis istius vermiculi, luto assueti, & for-
 dibus mundi; voluisti, ut aspiciens te humilem & contemptum ab
 hominibus, accedam ad te, ac te humili despectoque delecter,
 quando-

quandoquidem per meam miseriam, culpam & vilitatem perdidisti gustum tuæ magnitudinis. O vere amice & Servator animæ meæ! qui te sic per omnia mihi accommodas, quæ mihi sunt necessaria.

*Pretium
debitorum
nostrorum.*

VII. Jam venisti ad me, quia ego non poteram venire ad te: jam in teipso satis est factum pro meis debitis, quibus ego soluendis non eram: jam factus es cibus meus multis modis, ut possim te gustare: nunc autem quia aliud non restat, quod facias, videns me tam affectum ad vilitates mundanas, facis te lutum, ut eo involuar, ac sustentet, & te etiam in formâ luti gustem atque possideam. quod cum ita sit, cur non tui amore diffuso, & me tibi conjungo? non me accendo, non inflammo ad amandum te, ad serviendum tibi? implevisti, Domine, quod per Isaiam prædixeras, daturum te nobis panem arctum, & aquam brevem. Tu es ille, Deus meus, ac Dominus meus. Quàm multos melius sustentas hâc extremâ tuâ demissione, & aquâ hâc modicâ, quæ in tantâ humiliatione videtur quasi lutum, quàm omnibus rebus, quas possent habere extra te! panis, quo vesceretur Elias, coctus erat sub cinere; sed virtute ejus ambulavit quadraginta diebus, usque ad montem, in quo Dominum vidit. Hic, ô Deus meus! sub cinere latet pulchritudo tua: hic sub isto contemptu Majestas tua: sub ista abjectione Gloria tua. Possunt te putida phlegmata & sputa cum istis contumeliis operire, sed non opprimere, neque minuere. Hic ego te recognosco & adoro, tanquam Deum, ac Dominum immensæ majestatis: tanquam meum Regem, formosum, & amabilem: tanquam sustentationem meam dulcem ac delectabilem.

*Arbor
virens, col-
lapsa re-
stantans,*

VIII. O quando vescetur anima mea? quando sustentabitur te solo, te solo fruetur? Tu es arbor scientiæ, cuius fructus dat omnem cognitionem & lucem: tu es arbor vitæ, quæ omnia collapsa restaurat. Et ô quantò melius alit, quod in te putridum videtur ac putidum, quàm quod in mundo & carne integrum & sanum est! siccus & asper cortex tuus habet suavissimum odorem & sapidissimos fructus, quos vani flores, & ridentia, sed intus cinere plena poma mundi nequaquam noverunt. Quando, Deus meus, & omne bonum meum, trahes me odore ac dulcedine tuâ

ne tuâ ad te? cibus terrenus mutatur in substantiam comedentis; at quo die anima mea admissa fuerit ad gustandum te, Deus meus, ego totus transformabor in te. O quando mutationem hanc facies? fac, omnipotens Deus, ut imitando te amplectar hos tuos contemptus, & me pro te despiciens me ipsum oderim & horream; ut agnoscam qualis sim, & ab omnibus creaturis pro tali agnoscar tracterque. Quia verò Deus ac Dominus meus, aliter ordinasti, concede mihi, ut saltem in animo pro tali me geram; quandoquidem hîc es absconditus; hîc te inveniet, quisquis te quæret, vera gloria, verus honor & amor animæ meæ!

O Regina Angelorum, humillima ancilla hujus Domini! *Cujus fructus novit* quæ per experientiam novisti quantum boni habeat, qui se amore *MARIA.* ejus humiliat. Te, ô purissima Virgo! elegit pro se divinus hic Dominus, quando voluit fieri vermis; quia te invenit verè humilem, & vilem in oculis tuis. Te, Domina, tam sublimia & singularia dona non potuerunt elevare à vili æstimatione, quam habuisti de teipsa: tu meliùs omnibus novisti hunc Dominum absconditum in his injuriis & indignationibus. Recordare hujus peccatoris; quia non pro te sola, sed etiam pro nobis accepisti tanta bona. Adjuva, Domina, hunc peccatorem in hac hora: leva me de luto meorum peccatorum: humilia superbiam vanitatis meæ: abjice me ad pedes hujus Domini: impetra mihi lumen, ut eum semper agnoscam; gratiam & robur, ut imiter; æstimationem suæ humilitatis, ut me illi conformem; & supple tu, quidquid hæc in parte mihi deest.

O mi Custos Angele! ô omnes beati spiritus! qui sustentamini majestate & magnitudine vestri Domini non amplius *Nunc gustant Beati.* cooperatâ: ô cives æternæ gloriæ! qui fuistis viles peccatores, & reipsâ gustastis fructus veritatis istius; & per hanc viam, sequendo humiliactiones Domini, ad tanta bona venistis; tangat vos mei miselli compassio: quia sine vestra intercessione non mereor audiri. Juvate me, & obtinete mihi à Domino perseverantiam usque ad mortem in his desideriis eum imitandi, quæ nunc mihi largitur; & unicam scintillam hujus ignis divini, quo vos ardetis ac transformamini, ut & me transformet in voluntatem Domini. Amen.

ÆRUMNA